The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de libero arbitrio (fol.2va-3ra)

1. Si homicidium est hominem occidere. potest accidere aliquando sine peccato. Nam et miles hostem et iudex. uel minister eius nocentem. et cui forte inuito. atque imprudenti. telum malui fugit. non michi uidentur peccare. cum hominem occidunt.

   Si homicidium est hominem occidere, potest accidere aliquando sine peccato. Nam et miles hostem et iudex uel minister eius nocentem, et cui forte inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi uidentur peccare, cum hominem occidunt.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.4.25 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.216, ll.27-31).

2. De pudicitia quis dubitauerit. quin ea sit in ipso animo constituta. quando quidem uirtus est. Vnde a uiolento stupratore nec ipsa eripi potest.

   De pudicitia uero quis dubitauerit quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem uirtus est? unde a uiolento stupratore nec ipsa eripi potest.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.5.38 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.218, ll.49-51).

3. Voluntas bona est qua appetimus recte honesteque uiuere. et ad summam sapienciam peruenire.

   Quid est bona uoluntas? Voluntas, qua adpetimus recte honesteque uiuere et ad summam sapientiam peruenire.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.12.83 (CCSL 29, W.M. Green ed. p.227, ll.31-33).

4. Prudentia est appetendarum. et uitandarum rerum scientia.

   Considera nunc utrum tibi uideatur esse prudentia adpetendarum et uitandarum rerum scientia.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.13.27 (CCSL 29, W.M. Green ed. p.228, ll.1-2).

5. Hoc eterna lex incommutabili stabilitate firmauit. ut in uoluntate meritum sit, in beatitate autem et miseria et premium et supplicium. Itaque cum dicimus uoluntate homines miseros

esse non ideo dicimus quod miseri esse uelint. sed quod in ea uoluntate sunt. quam etiam hiis inuitis miseria sequatur necesse est.

Hoc enim aeterna lex illa, ad cuius considerationem redire iam tempus est, incommutabili stabilitate firmauit, ut in uoluntate meritum sit, in beatitate autem et miseria praemium atque supplicium. Itaque cum dicimus uoluntate homines miseros esse, non ideo dicimus quod esse miseri velint, sed quod in ea uoluntate sunt, quam etiam his inuitis miseria sequatur necesse est.

Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.14.30 (CCSL 29, W.M. Green ed., pp.231-2, ll.21-27).

6. Iubet eterna lex auertere amorem a temporalibus. et eum mundatum ad eterna conuertere.

   Iubet igitur aeterna lex auertere amorem a temporalibus et eum mundatum ad aeterna conuertere.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.15.32 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.233, ll.42-43).

7. Assentio omnia peccata hoc uno genere contineri. cum quisquis auertitur a diuinis. uereque manentibus. et ad mutabilia atque incerta conuertitur.

   Est ita ut dicis, et adsentior peccata omnia hoc uno genere contineri, cum quisque auertitur a diuinis uereque manentibus et ad mutabilia atque incerta conuertitur.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 1.16.35 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.235, ll.23-25).

8. Nulla re fruitur anima cum libertate. nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in hiis bonis. que potest inuitus amittere. Veritatem autem atque sapienciam nemo amittit inuitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest. sed ea que dicitur a ueritate atque sapiencia separatio. peruersa uoluntas est. qua inferiora diliguntur.

   Nulla enim re fruitur anima cum libertate nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in his bonis quae potest inuitus amittere. Veritatem autem atque sapientiam nemo amittit inuitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest, sed ea, quae dicitur a ueritate atque sapientia separatio, peruersa uoluntas est, qua inferiora diliguntur.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.13-14.37 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.262, ll.53-54, 1-5).

9. Veritatis et sapientiae pulchritudo. tantum adsit uoluntas perseuerans fruendi nec multitudine audientium constipata secludit uenientes. nec peragitur tempore. nec migrat locis. nec nocte

intercipitur. nec umbra intercluditur. nec sensibus corporis subiacet. de toto mundo ad se conuersis. qui diligunt eam omnibus proxima est omnibus sempiterna. Nullo loco est. nusquam deest. foris admonet. Intus docet. cernentes se commutat omnes in melius. a nullo in deterius commutatur. Nullus de illa iudicat. Nullus sine illa bene iudicat.

At illa ueritatis et sapientiae pulchritudo, tantum adsit perseuerans uoluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit uenientes nec peragitur tempore nec migrat locis nec nocte intercipitur nec umbra intercluditur nec sensibus corporis subiacet. De toto mundo ad se conuersis qui diligunt eam omnibus proxima est, omnibus sempiterna, nullo loco est nusquam deest, foris admonet intus docet, cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat nullus sine illa iudicat bene.

Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.14.38 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.263, ll.42-51).

10. Ve qui derelinquunt te ducem. et oberrant in uestigiis tuis. qui nutus tuos pro te amant. et obliuiscuntur quid innuas. O suauissima lux purgate mentis sapiencia. Non enim cessas innuere nobis. que et quanta sis. et nutus tui. sunt omne creaturarum decus.

   Vae qui derelinquunt te ducem et oberrant in uestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant te obliuiscuntur quid innuas, o suauissima lux purgatae mentis sapientia! non enim cessas innuere nobis quae et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum decus.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.16.43 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.266, ll.54-58).

11. Virtutes quibus recte uiuitur. magna bona sunt. species autem quorumlibet corporum. sine quibus recte uiui potest. minima bona sunt. potencie uero animi sine quibus recte uiui non potest. media bona sunt. Viritutibus nemo male utitur. ceteris autem bonis. id est mediis et minimis. non solum bene. sed etiam male quisque uti potest. et ideo uirtute nemo male utitur. quia opus uirtutis est bonus usus istorum.

    Virtutes igitur quibus recte uiuitur magna bona sunt; species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte uiui potest, minima bona sunt; potentiae uero animi, sine quibus recte uiui non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur; ceteris autem bonis, id est mediis et minimis, non solum bene sed etiam male quisque uti potest. Et ideo uirtute nemo male utitur quia opus uirtutis est bonus usus istorum quibus etiam non bene uti possumus.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.19.50 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.271, ll.5-12).

12. Vita beata. id est animi affectio. inherentis incommutabili bono proprium est. et primus hominis bonum. in eo etiam sunt uirtutes omnes. quibus male uti nemo potest.

Voluntas ergo, quae medium bonum est, cum inhaeret incommutabili bono eique communi, non proprio, sicuti est illa de qua multum locuti sumus et nihil digne diximus ueritas, tenet homo uitam beatam; eaque ipsa uita beata, id est animi adfectio inherentis incommutabili bono, proprium et primum est hominis bonum. In eo sunt etiam uirtutes omnes, quibus male uti nemo potest.

Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.19.52 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.272, ll.36-42).

13. Voluntas inherens communi atque incommutabili bono. impetrat prima et magna hominis bona. cum ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem auersa. ab incommutabili et communi bono. et conuersa ad proprium bonum. aut exterius aut inferius peccat. ad proprium conuertitur. cum sue potestatis uult esse exterius. cum aliorum propria. uel que ad se non pertinent cognoscere studet. ad inferius. cum uoluptatem corporis diligit.

   Voluntas ergo adherens communi atque incommutabili bono impetrat prima et magna hominis bona, cum ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem auersa ab incommutabili et communi bono et conuersa ad proprium bonum aut ad exterius aut ad inferius, peccat. Ad proprium conuertitur, cum suae potestatis uult esse, ad exterius, cum aliorum propria uel quaecumque ad se non pertinent cognoscere studet, ad inferius cum uoluptatem corporis diligit.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 2.19.53 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.272, ll.59-64).

14. Nichil tam in nostra potestate quam ipsa uoluntas.

   Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa uoluntas est.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.3.6 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.279, ll.63-64).

15. Sicut tu memoria tua. non cogis facta esse que preterierunt. sic deus prescientia sua non cogit facienda que futura sunt.

   Sicut enim tu ememoria tua non cogis facta esse quae praeterierunt, sic deus praescientia sua non cogit facienda quae futura sunt.

   Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.4.11 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.281, ll.34-36).

16. Considera quantum potes. quam magnum sit ipsum esse. quod et beati et miseri uolunt.

Considera igitur, quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri uolunt.

Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.7.20 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.287, ll.13-15).

17. Inquietudo uariat affectiones. ut alteram altera perimat. quies autem habet constantiam. in qua maxime intelligitur. quod dicitur est.

    Inquietudo enim uariat adfectiones ut altera alteram perimat, quies autem habet constantiam in qua maxime intellegitur quod dicitur Est.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.8.23 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.289, ll.49-51).

18. Quid tam opus habens misericordia. Quam miser? Et quid tam indignum misericordia. Quam superbus miser.

    Quid enim tam opus habens misericordia quam miser? Et quid tam indignum misericordia quam superbus miser?

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.10.29 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.293, ll.26-28).

19. Auaricia in omnibus rebus que immoderate cupiuntur. intelligenda est. ubicumque omnino. plus uult quisque quam satis est. hec autem auaricia cupiditas est. cupiditas uero improba uoluntas est. ergo improba uoluntas omnium malorum causa est.

    Auaritia enim, quae graece φιλαργυρία dicitur, non in solo argento uel in nummis magis unde nomen duxisse resonat – argento enim nummi aut mixto argento frequentius apud ueteres fiebant –, sed in omnibus rebus quae inmoderate cupiuntur intelligenda est, ubicumque omnino plus uult quisque quam sat est. Haec autem auaritia cupiditas est, cupiditas porro inproba uoluntas est. Ergo inproba uoluntas malorum omnium causa est.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.17.48 (CCSL 29, W.M. Green ed., pp.303-4, ll.26-33).

20. Quis peccat in eo quod nullo modo caueri potest.

    Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri potest?

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.18.50 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.304, ll.9-10).

21. Illa est pena peccati iustissima. ut amittat unusquisque quo bene uti noluit. cum sine ulla difficultate posset. si uellet. id est. ut qui sciens recte non facit. amittat scire quid rectum sit. et qui rectum factere cum posset noluit. amittat posse cum uelit. Nam sunt reuera omni peccanti anime. ista duo penalia. ignorantia et difficultas. ex ignorantia. dehonestat error. ex difficultate cruciatus affligit. sed approbare falsa pro ueris. ut erret inuitus. et resistente atque torquente dolore. carnalis uinculi non posse a libidinosis operibus temperare. non est natura instituti hominis. sed pena dampnati.

    Illa est enim peccati poena iustissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit cum sine ulla posset difficultate si uellet; id est autem ut qui sciens recte non facit amittat scire quid rectum sit, et qui recte facere cum posset noluit amittat posse cum uelit. Nam sunt re uera omni peccanti animae duo ista poenalia, ignorantia et difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus adfligit. Sed adprobare falsa pro ueris ut erret inuitus, et resistente atque torquente dolore carnalis uinculi non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis sed poena damnati.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.18.52 (CCSL 29, W.M. Green ed., pp.305-6, ll.45-55).

22. Non tibi deputatur ad culpam. quod inuitus ignoras. sed quod negligis querere quod ignoras.

    Cum uero ubique sit praesens qui multis modis per creaturam sibi domino seruientem auersum uocet doceat credentem consoletur sperantem diligentem adhortetur conantem adiuvet exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod neglegis quaerere quod ignoras, neque illud quod uulnerata membra non colligis, sed quod uolentem sanare contemnis; ista tua propria peccata sunt.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.19.53 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.306, ll.12-19).

23. Non solum peccatum illud dicimus quod proprie peccatum uocatur. libera enim uoluntate. et a sciente committitur. sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.

    Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum consequitur – id est formam tenoremque uerborum secundum quem modum dicitur alia lingua graeca alia latina –, sic non solum peccatum illud dicimus quod proprie peccatum uocatur – libera enim uoluntate et ab sciente committitur –, sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.19.54 (CCSL 29, W.M. Green ed., pp.306-7, ll.26-34).

24. De creatura. si quid aliter. quam sese habet senserimus. dum modo id non pro cognito. perceptoque teneamus. nullum periculum est. non enim ad creaturam iubemur tendere. ut efficiamur beati. sed ad ipsum creatorem. de quo si aliud quam oportet. ac sese res habet nobis persuadetur. perniciosissimo errore decipimur.

    De creatura uero si quid aliter quam sese habet senserimus, dummodo id non pro cognito perceptoque teneamus, nullum periculum est. Non enim ad creaturam iubemur tendere ut efficiamur beati, sed ad ipsum creatorem, de quo si aliud quam oportet ac sese res habet nobis persuadetur, perniciosissimo errore decipimur.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.21.59 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.310, ll.13-18).

25. Non quod naturaliter nescit. et naturaliter non potest. hoc anime deputatur in reatum. sed quod scire non studuit. et quod dignam facilitati comparande ad recte faciendum. operam non dedit.

    Non enim quod naturaliter nescit et naturaliter non potest, hoc animae deputatur in reatum, sed quod scire non studuit et quod dignam facilitati conparandae ad recte faciendum operam non dedit.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.22.64 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.313, ll.16-19).

26. Quid est aliud dolor. nisi quidam sensus diuisionis uel corruptionis impaciens.

    Quid est enim aliud dolor nisi quidam sensus diuisiones uel corruptionis inpatiens?

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.23.69 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.316, ll.70-71).

27. Stulticia est rerum appetendarum et uitandarum. non quelibet. sed uiciosa ignorantia.

    Est enim stultitia rerum adpetendarum et uitandarum non quaelibet sed uitiosa ignorantia.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.24.71 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.317, ll.20-22).

28. Ex quo incipit homo precepti esse capax. ex illo incipit posse peccare. duobus autem modis peccat antequam sit sapiens. si autem se non accomodet ad accipiendum preceptum. aut cum acceperit. non obseruet. sapiens autem peccat. si se auertit a sapiencia.

    Ex quo autem incipit homo praecepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis peccat antequam fiat sapiens: si aut non se accommodet ad accipiendum praeceptum aut cum acceperit non obseruet. Sapiens autem peccat si se auerterit a sapientia.

Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.24.72 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.318, ll.42-46).

29. Tanta est pulcritudo iustitie. tanta est iocunditas lucis eterne hoc est incommutabilis ueritatis atque sapientie. ut etiam si non liceret in ea amplius manere. quam unius diei mora. propter hoc solum innumerabiles anni huius uite. pleni deliciis et circumfluencia bonorum temporalium. recte meritoque contempnerentur.

    Tanta est autem pulchritudo iustitiae, tante iocunditas lucis aeternae, hoc est incommutabilis ueritatis atque sapientiae, ut, etiam si non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius uitae pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur.

    Augustinus Hipponensis, *De libero arbitrio*, 3.25.77 (CCSL 29, W.M. Green ed., p.321, ll.63-68).